

VIR OBEDIENS LOQUETUR VICTORIAM

PEL P. MIQUEL M.^a PANADÈS, C. M. F., LLIC. EN SDA. ESCRIP.

De Proverbiorum sententia, prout in praecedenti titulo jacet, loquutus, haec quae sequuntur dicenda statuo: quanto in honore scilicet hic apud sodales religiosos textus semper fuit; quisnam est deinde horum verborum juxta textum Vulgatae sensus; quanam tandem sententioe hujus juxta textum originalem explicatio.

ART. I. — *Honor quo hic textus apud religiosos gaudet*

Plura sunt momenta, quae obedientiam omnibus generatim, praesertim vero religiosis, suadent: rerum ordo servandus quo inferiora superioribus subduntur; Dei voluntas implenda quae ordinem servari jubet; humilitatis exercitium juxta quam religiosum substare potius quam praeesse decet; voluntatis abnegatio propter Jesu Christi amorem, votum in professione emissum...

Inter haec autem non ultimum certe obtinet locum momentum bonorum, quorum per obedientiam potitur religiosus Deo consecratus, ut puta securitas conscientiae, pax animae, amor superiorum, benevolentia fratrum, pax domestica...

Cum tamen non semel obedientia in medias nos difficultates, contradictiones ac tentationes projiciat, haec bona non adeo faciliter obtinentur, saepe oportet vim sibi inferre et tunc vir religiosus secure bonum victoriae spectat quae obedientibus omnibus promittitur, atque ab auctoribus nota Proverbiorum sententia demonstratur: *Vir obediens loquetur victoriam*.

Hanc considerationem sibi appropriat *Herbert*, cum dicit: "Facilem tibi obedientiam reddes, si maximae, quam secum fert, recordaris utilitatis. Memento illius de qua loquitur sapiens: *Vir obediens loquetur victoriam*" (1). Adeo est magna hujus sententiae utilitas, ut aliqui auctores eam initio tracta-

(1) *Imitación de Cristo meditada*, 5. I, 86, Barcelona, 1912.

tionis obedientiae praeponere non dubitarunt, ut *Valencina* (2), *Esplugas* (3), *Petit* (4)...

Haec verba, quae vitae spirituali in genere applicantur, ut ad promissam obedientiam religiosos inducant, in diversis Congregationum Constitutionibus proponuntur. Quae sequuntur de hac re documenta ad monachos benedictinos, fratres praedicatorum, fratres minores, societatem Jesu, passionistas, salesianos, visitationem, ad sorores Boni Pastoris, omnesque religiosas per ordinem pertinent.

1) *Trithemius*, abbas benedictinus, in suis ad monachos dehortationibus cum de obedientia loquitur, hunc Proverbiorum locum ita effert: "In proverbii quoque dicitur: *Vir obediens loquetur victorias*. Obedientia monachum in cunctis tentationibus reddit invincibilem: et qui sequitur in omnibus senioris sui consilium, numquam sentiet animae salutis detrimentum. Obedientia enim est via brevis, et aspera, per quam cito ad perfectionis culmen ascenditur" (5).

2) In epistola quam de tribus votis substantialibus religionis *B. Humbertus de Romanis*, quintus Ordinis Praedicatorum magister generalis, ad singulas provincias misit, ita suis alloquitur: "Ex his colligere poteritis quod obedientiae discretio est ut sit aequaliter indiscreta; ut ea pro bono quis aggrediatur obedientiae, quae aliquando videantur secundum mundi sapientiam carere ratione. Hinc est quod *vir obediens loquitur victorias*, Proverb. 21, quia voluntatem quae se naturaliter inclinatur ad prospera, per coactionem obedientiae curvat etiam in adversa" (6).

In expositione Regulae *B. Augustini*, quam pro Fratribus Praedicatoribus scripsit idem *B. Humbertus de Romanis*, de obedientia agens, dicit: "Item facit hominem nobilissime triumphare, videlicet, de hoste fortissimo, scilicet animo proprio, cui qui dominatur melior, est, secundum Salomonem, Prov. 16, expugnatore urbium: a quo multi vincuntur, postquam vicerunt carnem, mundum et diabolum. Prov. 21: *Vir obediens loquetur victorias*. Gregorius: Dum enim alienae voci humiliter obedimus, nosmetipsos in corde superamus" (7).

3) "Missionariis Ordinis Minorum, qui in sacra vivebant solitudine, ita loquitur Regula: "Sint igitur dispositi in conventu manere, aut ad missiones egredi; cum hoc aut cum illo socio ire; hoc aut illud ministerium exercere. Ita prosperum in omnibus operibus sperare poterunt exitum, juxta Spiritus Sancti promissionem, quae dicit: *Vir obediens loquetur victoriam*" (8).

Imo et omnibus in genere Ordinis fratribus dicit *S. Bonaventura* cum de obedientia sermonem instituit: "Et quia Christus fuit pro nobis *obediens usque ad mortem*, ideo Pater noster obedientiam posuit sub praecepto, quia *melior est*

(2) *Cartas a Sor Margarita*, 8, p. 275, Sevilla, 1903.

(3) *Conferencias espirituales para ejercicios*, 2, p. 286, Barcelona, 1904.

(4) *Sacerdos rite institutus*, 6, p. 112, Brugis et Insulis, 1912.

(5) *TRITHEMIUS, Ad monachos dehortationes*, p. 144, Romae, 1898.

(6) *De vita regulari*, I, p. 8-9, Romae, 1888.

(7) *De vita regulari*, I, p. 534, Romae, 1888.

(8) *Statuti e regolamenti... ad osservarsi nei Sacri ritiri dei Padri Missionarii dell'ordine dei Minori*, p. 146, n. 451, Roma, 1850.

quam victimae, et quia *vir obediens loquitur victorias* (9). Quod autem omnibus dedit obedientiae documentum, id in specie ad novitios pertinere. his verbis docuit: "Et merito invitat eos ad obedientiae subjectionem, quia per eam habetur mira victoria contra hostes, teste Sapiente, qui ait: *Vir obediens loquetur victorias*. Et quod plus est, ipse Deus per obedientiam vinci potest..." (10).

4) *Dirkinck*, cum in suis exhortationibus domesticis regulam 34 Sum. explicat, ut promptam clarius exponat obedientiam exemplum e S. Scriptura profert Gedeonis et addit: "Haec est obedientia militaris, quae victoriam reportat: *Vir obediens loquetur victorias*. Ejusmodi prompta obedientia omnino militibus est necessaria, nisi sterni vincique cupiant... Ordo religionis et in primis minima Societas nostra exercitus volans est sub labaro crucis Christi militans, et pro regno Christi dilatando propagandoque decertans; in quo prompta, imo promptissima requiritur obedientia... (11). Quis vero recenseat quot ista parendi methodo religiosus sui victorias reportet? quot meritorem gradus acquirat? quot coronas pro aeternitate in coelo sibi fabricet?..." (12).

5) Constitutiones filiorum S. Pauli a Cruce obedientiam, nostro textu proposito, suadent: "Obedientia est velut lapis fundamentalis totius perfectionis, ac *verus obediens*, Salomone teste Prov. 21, 28, *loquetur victoriam*" (13).

6) In introductione quam ad regulas scripsit Ven. Societatis Salesianae Fundator, ad obedientiam urgendam haec adhibetur Proverbiorum auctoritas: *L'uomo ubbidiente canterà la vittoria* (14).

7) In Constitutionibus ita suis filiabus loquitur S. *Franciscus Salesius*: "*Obediens*, dicit Scriptura, *loquetur victorias*. Ut ergo haec Congregatio hostes suos spirituales superare possit et aliquando plures Domino nostro sanctas victorias loqui possit, debet in perfecta obedientia stabiliri" (15). In fine Constitutionum adest appendix additiones quasdam Constitutionibus factas continens, ubi haec longius enucleantur: "Cum anima tot visibiles et invisibiles hostes profligare debeat, si victoriam obtinere vult, oportet obedientiam super omnia habere. Jamvero, cum haec Congregatio parva sit acies contra mundi peccatum et vanitatem ordinata, ut ipsa in terra felicissime vincere et in coelo gloriose triumphare ac rationem nostro victoriarum Domino et Dominae reddere possit, debet absolutissima in omnibus et per omnia obedientia vivere" (16).

Hanc doctrinam explicat in suis ad Constitutiones responsis sancta Mater *Joanna Francisca Fremiot* dicens: "Quid sunt, mea dilecta filia, interrogas, *inimici spirituales*? Sunt nempe propria voluntas, proprium iudicium, mundus, passionem et inclinationes nostrae et spiritus malignus. Et isti per obedientiam superantur, quae magnas super omnes hostes nobis obtinet victorias". (17).

(9) S. BONAVENTURA, *Sermo super Regulam Fratrum Minorum*, n. 29, Op. omn., VIII, p. 446. Ad Claras Aquas, 1898.

(10) S. BONAVENTURA, *Regula Novitiorum*, c. 14, n. 1. Op. omn., VIII, 488, Ad Claras Aquas, 1898.

(11) *Exhortationes domesticae*, II, p. 226-7, Ratisbonae, 1913.

(12) *Ib.* p. 231.

(13) *Regulae et Constitutiones Congr. Clericorum exalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. Jesuchristi*, p. 23, Romae, 1885.

(14) DOM BOSCO, *Introduzione alle regole e costituzioni*, p. 41, S. Benigno Canavese, 1894.

(15) *Constitutions pour les religieuses de la Visitation*, p. 131-132, Annecy, 1889.

(16) *Ib.*, *Additions*, p. 10-11.

(17) *Respuestas de nuestra Santa Madre Juana Francisca Fremiot*, p. 122. Madrid, 1915.

8) “*Obedientia insuper meritum secum fert martyrii; etenim sicut in martyrio caput offertur, ita in obedientia propria Deo sacrificatur voluntas, quae est animae caput. Ideo dicit Sapiens virum obedientem contra omnes inimicorum insultus victoriam esse obtenturum: Vir obediens loquetur victorias... Victores (enim) sunt, dicit Gregorius, qui obediunt, quia dum voluntatem aliis subjiciunt, ipsis lapsis per inobedientiam angelis dominantur, etc.*” (18).

9) “*Obedientia, dicit S. Scriptura, loquetur victorias. Ut ergo Sorores spirituales hostes vincere et multarum ac gloriosarum victoriarum tropheos ante Domini Nostri solium aliquando deponere possint, obedientiae virtutem magnopere exercent*” (19).

Cum homo sit animal rationale non est contentus simplici doctrinae alicujus affirmatione, sed ejus firmiter postulat demonstrationem. Nos praecedentia testimonia a viris sanctitate adeo conspicuis audientes, prout essemus — id simpliciter fatemur — manus pedesque vinctos fere dare, eisque ob eorum auctoritatem assentiri, tamen nostram erga eos reverentiam minuere non arbitramur, si eorum doctrinae fundamenta postulamus, quae ideo in sequentibus investigabimus. Duo ergo hic explicare intentio nostra est: Quaenam est imprimis sententiae Proverbiorum juxta textum Vulgatae explicatio — quaenam est ipsius juxta textum originale expositio.

ART. 2. — *Verborum juxta textum Vulgatae explicatio*

Inter theologos et exegetas communiter tamquam principium generale admittitur vera ad fidei defensionem argumenta e verbis et sententiis Vulgatae depromi posse. Solidum hujus principii fundamentum habetur in Concilio Tridentino, quod praecipit: “*Ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat*” (20). Nunc ergo verba et sententiam e libro Proverbiorum dilucidanda sumimus. Ab his ergo, prout in Vulgata leguntur valida ad Ecclesiae doctrinam defendendam depromere licet argumenta. Cum autem textus noster de obedientia ac de obedientis victoria agat, certe in favorem talis doctrinae adhiberi potest. “*Vir ergo obediens loquetur victoriam.*”

Hoc quod nunc fecimus argumentum plures alii et ante nos et melius quam nos fecerunt, qui pulcherrima de victoria obedientis sensa nobis obtulerunt. “*Haec sententia, dicit Fillion, optimas saepe suggessit de virtute*

(18) S. ALFONSO DE' LIGUORI, *La monaca Santa*, p. 168, Torino, 1836.

(19) *Regola di S. Agostino e Costituzioni per le Suore di Nostra Signora di Carità del Buon Pastore d'Angers*, Costituzione XV, n. 1, p. 94, Roma, 1898.

(20) Sessio 4.^a

obedientiae considerationes" (21). Juvat ergo eorum doctrinam proferre, quae tandem sequentibus capitibus continetur:

Cum hic de victoria agatur, quaeritur de *ejus momento*. — Cum autem victoria omnis de aliquo sit oportet, quaeritur secundo de *ipsius objecto*. — Mirum est quod vir obediendo vincat, ideo tertio explicatur *quae inter obedientiam et victoriam incercedat relatio*. — Quid tandem sibi vult loqui *victoriam?*

§ I. — *Momentum victoriae viri obedientis*

Vir obediens victoriam loquetur. Sed quae et qualis est haec promissa victoria? Eam negative et positive, per quosdam quasi gradus ascendendo, exponunt auctores:

1) Negativus hujus victoriae sensus est quod vir obediens nullum ex obedientia capiet detrimentum. Duplicis generis sententias proferimus, earum quaedam *de facto* loquuntur, quaedam vero *de posse*.

a) Simplex facti affirmatio sub duplici adhuc apparet aspectu: etenim, vel animae salus in universum tangitur: "Dominus noster promisit verum obedientem numquam esse periturum" (22), vel de parte tantum salutis agitur: "Qui sequitur in omnibus senioris sui consilium numquam sentiet animae salutis detrimentum" (23), detrimentum enim sumi in sensu partis vel diminutionis potest.

b) Non *de facto* victoriae negativae solum loquuntur vitae spiritualis doctores, sed *de posse*: vir obediens scilicet redditur invincibilis: Et quidem remissive primo: "*Aliquo modo* invincibilis evadit homo per obedientiam" (24). Absolute deinde: "Obedientia monachorum in *cunctis tentationibus* reddit invincibilem" (25). Aut etiam eminenter: "*Haec virtus magis quam alia quae libet invincibiles* nos contra inimicorum infernalium insultus reddit" (26).

c) Non in una alterave solum tentatione aut adversitate vincet obediens, sed eminentissime in omnibus: "Obedientia armatura est monachorum fortissima, *cui nulla poterunt* nocere adversa (27). Nec invincibilis redditur dumtaxat obediens, sed et *infallibilis*: "Qui enim indifferenter superiorum

(21) FILLION, *La Sainte Bible*, IV, 503, Paris, 1903. — "La traduction de la Vulgate a fréquemment servi aux auteurs spirituels pour démontrer les avantages de l'obéissance". LESETRE, *La Sainte Bible, Le livre des Proverbes*, p. 183, Paris, 1879.

(22) *Dizionario spirituale estratto dalle opere e dallo spirito di S. Francesco di Sales*, II, 114, Venezia, 1780.

(23) TRITHEMIUS, *Ad monachos dehortationes*, hom. XX, p. 144, Romae, 1898.

(24) PETIT, *Sacerdos rite institutus*, 6, III, 144.

(25) TRITHEMIUS, *op. et loc. cit.*

(26) SCARAMELLI, *Direttore ascetico*, II, 102, Venezia, 1762.

(27) TRITHEMIUS, *op. et loc. cit.*

voluntatem ac directionem sequitur, etiam cum hi ignorantia laborent ac ignoranter per vias asperas et periculosas subditos dirigant, si in omnibus quae manifestum peccatum non continent, obedit, errare non potest" (28).

2) Diversi sunt victoriae positivae gradus qui ab auctoribus docentur: *Simplex victoria*: "Obediens bonam rei solutionem semper inveniet" (*siempre acierta uno*), ait *Naval* (29).

Certa victoria: "Certum de hoste reportabitis victoriam", ex *Trithe-mio* (30).

Nobilissima victoria: "Per obedientiam nobilissimus triumphus acquiritur", juxta *B. Humbertum de Romanis* (31). — "Facit hominem nobilissime triumphare". — Imo obedientia "anima fit omnibus inimicis terribilis", dicit *Esplugas* (32).

§ 2. — *Objectum victoriae quae promittitur*

Vir obediens, prout vidimus, victoriam loquetur, imo fiet invincibilis. Sed alia in mentem, his dictis, statim occurrit quaestio, quodnam scilicet est hujus victoriae objectum? quid est illud quod obediens sua obedientia vincit? Plura a magistris vitae spiritualis enumerantur hujus victoriae objecta, quae nos hic paucis comprehendemus:

1) *Objecta externa*: Juxta *Dirkinck* (33) obtinetur "victoria militaris in obedientia" "victoria etiam ecclesiastica ob fines Ecclesiae". — Haec secunda a *Morganti* (34) ita elucidatur: "In obedientia hierarchiae ecclesiasticae insignes supra impietatem et corruptionem obtinentur victoriae". — "Quod ad missiones incipiendas attinet, vel non incipiendas sive ad eas hoc illove comite faciendas..., omnia bene prosperantur iis qui obedientia diriguntur"; ita docentur franciscani *dei sacri ritiri* nuncupati (35). — "*B. Didacus a Cadice* in praedicatione ex abrupto ob obedientiam facta: *Deus, dicebat, tangere me manu fecit quod vir obediens loquetur victorias*" (36).

"Obedientia potest obtinere miracula" praedicabat in suis exhortationibus *Ven. Palloti* (37) et de facto duo ob obedientiam *S. Vincentius Ferrerius* patravit, quae biographus nostro Proverbiorum textu exaltat (38).

(28) *Dizion. spirit.*, p. 114.

(29) *Serm. breve*, 3, I, 451, Madrid, 1914.

(30) *Opus et loc. cit.*

(31) *De vita religiosa*, I, 534.

(32) *Conferencias*, p. 272.

(33) *Exhort. dom.*, II, p. 227.

(34) *Sic orabitur*, p. 216, Roma, 1916.

(35) *Statuti*, p. 146.

(36) *Vita*, p. 248.

(37) *Compendio della Vita*, p. 216.

(38) *Storia della vita*, p. 448.

Vis exercitus in omnium militum unione posita est; omnes in unum victoriae finem insimul tendunt. Haec tamen unio per subjectionem Capiti vel duci, per obedientiam superiori dumtaxat obtinetur (39). Eodem modo in militia ecclesiastica ad impietatem debellandam, ad corruptionem destruendam accidit (40). Quod item in militia religiosa in sua contra peccatum et mundi vanitatem lucta videmus (41).

Obediens "omnes superabit difficultates, in quas ob obedientiam venerit; atque ab omnibus viis, etiam periculosis, quas ob eandem virtutem calcaverit, optime egredietur" (42). — Imo "obedientiae discretio est ut sit aliquatenus indiscreta; ut nos scilicet ea pro bono obedientiae aggrediamur, quae juxta mundi sensum aliquando contra rationem videantur" (43). Omnes has victoriae species latius prosequitur *Cornelius a Lapide* (44) in suo ad Proverbia Commentario, ubi obediens vincit daemonium, mundum, carnem (p. 124), seipsum, homines (p. 125), mare, ignem, terram et bestias, coelos, infernum (p. 126), tentationes, peccata, mortem et gehennam, ipsumque Deum (p. 127).

2) *Objecta interna*: Obedientia "juvat ad omnes vincendas tentationes", ait *Ven. Pallotti* (45), haec tentationes plerumque sunt internae. — "Ad repellendos nostri inimici insultus, et ad omnes malignas ejus artes fugiendas", ex *Antonelli* (46). — "Ad vincendum peccatum et mundi vanitatem" prout habetur in *Regulis Visitationis* (47).

Obediens insuper "victorias omnes supra sensus, et honores ac voluptates mundanas obtinebit" docet *S. Alphonsus de Liguori* (48) quae omnia in corpore aut anima sedem habent.

Obedientia adhuc hominem juvat "ad inimicos spirituales superandos" ita *Constitutiones Visitationis* (49) — ipsa etiam "triumphare de hoste fortissimo, scilicet, amore proprio, facit" discimus a *B. Humberto de Romanis* (50) — vel copiosius: "De amore proprio, passionibus deordinatis, affectibus terrenis, malis habitibus, tentationibus artibusque communis inimici"

(39) DIRKINCK, *Exhort. dom.*, II, 227.

(40) MORGANTI, *Sic orabitur*, p. 216, Roma, 1917.

(41) *Constitutions pour les religieuses de la Visitation. Additions*, p. 10-11, Ancecy, 1889.

(42) *Dision. spirit.*, p. 114-115.

(43) B. HUMBERTUS, *De vita relig.*, p. 8.

(44) *Comment. in Script. Sacram*, VI, in Proverbia Salom., Parisiis, 1868.

(45) *Compendio della vita*, p. 216

(46) *Spiegazioni e senso spirituale delle Costituzioni di S. Francesca di Sales*, p. 31, Osino, 1880.

(47) *Additions*, p. 10.

(48) *Avisos sobre la vocación religiosa*, p. 200, Barcelona, 1871.

(49) *Règles... et Constit.*, p. 132.

(50) *De vit. relig.*, I, 534.

legimus apud *Antonelli* (51) — aut “de propria voluntate, iudicio proprio, nostris passionibus, et inclinationibus” ait *S. Francisca Chantal* (52).

§ 3. — *Relatio quae inter obedientiam et victoriam intercedit*

“Prima quae post nostri textus lectionem idea menti obijcitur est intima et necessaria quae inter obedientiam et victoriam stabilitur connexio. Altera alterius est causa, obedientia victoriae” legimus in *Esplugas* (53). Si ergo adeo intima inter utramque relatio intercedit, hanc demonstrare difficile non erit, quod et agredimur.

Actio humana potest sub duplici adspectu considerari: in seipsa primo. dein in influxu quem ab extrinseco accipit.

1) Si actionem in seipsa consideremus, tria ob oculos veniunt: voluntas quae actionem imperat, potentiae quae voluntatis imperium exequentur, ac tandem harum facultatum objecta. Rebus creatis, quae in nos agunt, renuntiare valde difficile est; magis adhuc potentias internas et externas rationi subijcere; quam maxime vero voluntatis arbitrio valedicere.

Obedientia autem haec omnia imperare potest et tunc qui obedit res externas, quibus renuntiat, vincit; potentias internas et externas, quas rationi et voluntati subdit, vincit; propriam voluntatem, cui vale dicit, vincit.

a) Homo plures ob causas prospera adversis praefert. Difficulus eligit adversa propria ductus voluntate ac prospera despicit. Ad hanc super se victoriam obtinendam deest generatim animi vis et fortitudo. Haec tamen victoria uni obedientiae reservatur; obedientia enim “voluntatem quae se naturaliter inclinatur ad prospera, per coactionem curvat ad adversa” (54). Est ergo verum quod *vir obediens loquetur victoriam*.

b) Ordo facultatum hominis est ut voluntas dominetur, caetera autem omnia ei serviant: sensus externi, sensus interni, potentiae spirituales semper et in omnibus voluntatis imperio subsunt. Ergo qui voluntatem sacrificat, sacrificat etiam quae voluntati subijciuntur, sacrificat potentias internas et externas earumque mutuas actiones. Voluntas vero obedientia sacrificatur. Sacrificium, quod ab omnibus potentiis internis exigitur, in proprium earum bonum vergit, quatenus earum ordo et pulchritudo, et excellentia et utilitas ex hac subiectione exsurgit. Potentiarum autem ordo, pulchritudo, excellentia ac utilitas virtus vocari potest et debet. Optime ergo *S. Gregorius M.*

(51) *Spiegazioni...*, p. 31.

(52) *Respuestas de nuestra Santa Madre...*, p. 122, Madrid, 1915.

(53) *Conferencias*, p. 272.

(54) B. HUBERTI DE ROMANIS. Opera, *De vita religiosa*, I, p. 8, 9, Romae, 1888.

dicit: "Sola namque virtus est obedientia, quae virtutes caeteras menti inserit, insertasque custodit" (55).

Plenius adhuc *Rodríguez* noster, qui Gregorio et Bernardo citatis, addit: "Homo obediens non unam, bene vero plures acquirat victorias, hoc est, virtutum omnium thesaurum verus obediens inveniet" (56).

c) "Qui obedire didicit, propriae numquam indulget voluntati; sine propria voluntate, quae omnium malorum causa est, errare, cadere non potest; cessante autem propria voluntate, cessant etiam actus voluntatis: amor proprius, passiones, affectus terreni, malus habitus". Ita loquitur *Antonelli* (57). "Per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos repressa arbitrii sui superbia gladio praecepti se immolat", ait *Gregorius M.* (58).

2) Extrinsecus in actus humanos influxus in bonum potest esse et in malum: influxus in bonum in eo consistit quod vir obediens Dei virtute roboratur ut vincat; influxus in malum deinde est inimici in nos impetus ut, viribus enervatis, vincere difficulter possimus.

a) Qui obedit propriae renuntiat voluntati, alienae se subdit, ac per illam divinae. Cum autem voluntas humana sit debilis, fortis autem divina, homo in obedientia propria exspoliatur debilitate et aliena, divina scilicet, induitur virtute. Nunc autem qui divina fretus virtute pugnat, procul dubio vincere debet: "*Ci fa forti in Dio*", juxta Ven. Pallotti (59).

Jota unum aut unus apex non praeteribit a lege donec omnia fiant (60). Minus autem praeteribit ipsum verbum Domini (61), quomodo vero praeterire illud poterit, si Dei promissione firmetur? Jam vero viri obedientis victoria non est simplex legis mosaicae jota aut apex, sed est verum Dei verbum, est vera Dei promissio. Ergo Deus ob suam et veracitatem et fidelitatem id adimplere tenetur: "*Nostro Signore ha promesso, che il vero obediante non si perderà mai*" (62).

b) *S. Alphonsus de Liguori*, Gregorii M. vestigia premens, ita ratiocinatur: "Qui suam homini subjicit voluntatem, superiorem se reddit, daemones autem cum inobedientia ceciderint, inferiores sunt. Superior autem inferiorem vincit. *Victores sunt qui obediunt, quia dum voluntatem aliis subjiciunt, ipsis lapsis per inobedientiam dominantur*" (63).

(55) *Moralium lib. XXIV*, c. XIV, n. 28. - M. PL. 76, 765.

(56) *Ejercicio de Perfección*, trat. V, c. I, n. 9.

(57) *Spiegazioni*, p. 32.

(58) *Moralium*, l. c.

(59) *Compendio della vita*, p. 216.

(60) Mt. 5. 18.

(61) Hebr., 2, 1-3.

(62) *Dis. spir.*, p. 114. VALUY, *Las virtudes del religioso*, p. 150. GERMANO DI S. STAN. *Biogr. di Gemma Galg.*, p. 61, Roma, 1908. *Statuti e regolamenti*, p. 146.

(63) *La vera Sposa di Gesù Cristo*, I, 168, Torino, 1836.

Hanc *Scaramelli* alio modo composuit rationem: "Daemones sunt superbi: superbus autem nisi humilitate non vincitur; qui obedit homini, Dei vicario obedit; ideoque diabolo dominari debet: *Cum hominibus pro Deo subjicimur, superbos spiritus superamus. Caeteris quidem virtutibus daemones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt...* (ut supra) (64).

Magnam homo interius experitur repugnantiam, si rebus creatis renuntiare debet; majorem autem si potentias animae superare; summam vero si propriae valedicere debet voluntati. Jamvero, cum diabolus haec sciat, ac indirecta in animam polleat potestate, curat ut animae difficultates magno-pere crescant. Si tamen homo, animo invicto luctat et obediendo se vincit, diabolum procul dubio vincit. Pulchram texit *Gallerani* (65), in honorem obedientiae laudum coronam, cum nostrum explicat locum: Vincit daemonium..., vincit mundum..., vincit carnem..., vincit amorem proprium..., vincit omnia impedimenta..., vincit omnia pericula..., vincit ipsum Deum... Cantet ergo obediens triumphi hymnum: *Vir obediens loquetur victorias*.

"Ss. Patres eleganter hic excurrunt laudem obedientiae, quod illa obtineatur plena victoria. Primo de peccato et morte, secundo de diabolo... Tertio de mundo, carne et nobis ipsis, quae ut difficillima, ita nobilissima est victoria. Quarto de inferno, de coelo, et de elementis... Quinto de ipsomet Deo: exemplo Jacobi, qui in via obedientiae, cum Deo, vel Angelo, Dei vicario, luctans, nomen accepit Israel, id est, dominantis Deo..." (66).

§ 4. — *Quid sibi vult loqui victoriam?*

1) *Antonelli* putat agi de die judicii: In quonam sensu, ipse interrogat, verba *Vir obediens loquetur victorias* dicuntur? et respondet: Sensus est animam religiosam quae obedientiae subjecta fuit, quadam die, id est, die mortis ante Dominum de suis tot, tantisque victoriis, quas sua obedientia supra spirituales inimicos obtinuerit, relaturam esse (67).

2) Juxta *Esplugas* agitur de hac vita ubi obediens "hymnum triumphi cantabit, qui, juxta Scripturam, est fructus obedientiae" (68).

3) Plenius habet ex *Dionysio Carthusiano* (69): "*Vir obediens loquetur victorias*, id est, ipso facto ostendet se fortem ac victoriosum dabitque aliis

(64) *Direct. ascet.*, p. 103.

(65) *I Proverbii di Salomone*, II, p. 111, Modena, 1902.

(66) TIRINI, in *Biblia Sacra Vulgatae edit... cum selectissimis litteralibus commentariis*. XIII, 302, Venetiis, 1750.

(67) *Spiegazioni*, l. c.

(68) *Conferencias*, p. 272.

(69) *Opera omnia*, vol. 7, *Enarrationes in quinque libros sapientiales*, p. 142.

materiam loquendi de hoc; vel ad laudem Dei aedificationemque proximi narrabit qualiter obediendo praevaluit adversariis suae salutis, et carnem ac sensualitatem rationi subjecerit, et suo dominatus sit animo, viceritque seipsum; vel loquetur victorias, id est, humilia et obedientialia dabit responsa praecipientibus sibi, per quae adversariis gratiae praevalebit. Loquetur quoque libenter victorias, id est, aliorum electorum gloriosos triumphos, quibus de mundo, carne et diabolo triumphaverunt."

4) "*Vir obediens loquetur victoriam*; id est, qui divinae legi paret, atque adeo mendacia cavet ab ea prohibita, victoriam consequetur de adversario, cum quo litigat et illa gloriabitur. Vel simpliciter vir obediens dicitur vir probus, qui divinae legi per omnia se subjicit: hic enim adversa omnia vincet, et mendacium calumniis divino beneficio erit superior. Vel tandem sensus est: Qui etiam iniquae sententiae iudicis, a falso teste decepti, obedienter paret, tandem *loquetur victoriam, emergente aliquando, ut solet, veritate*" (70). Ita. *Menochi*.

5) "Et vero haec est praecipua obedientiae victoria: quia homo *vincens seipsum, qui vicit reliqua omnia fortior ostenditur, et majorem ex hoc facinore, quam ex aliis gloriam assequitur*. Vincit homo seipsum per obedientiam: nam iudicio suo compedes injicit, ac voluntatem catenis alligat, et corpus ac omnem motum ejus a noxia libertate avocat et ad Dei servitium provocat. Vincit seipsum, quia suis desideriiis vim infert, et libens propter amorem Domini alterius voluntati subjicit" (71).

Art. 3. — *Sententiae juxta textum originalem explicatio*

Quae hactenus dicta sunt, pulchre nimis dicta sunt. His Proverbiorum verbis freti ascetae omnimodam a fidelibus et magis adhuc a religiosis exigunt obedientiam, etiam in rebus difficilioribus, imo impossibilibus, miracula a Deo in obedientiae praemium exspectando; illis muniti praedicatores obedientiam imperfectam indignationis divinae fulmine percellunt; illis tandem animae sanctae tamquam cibo delicato quotidie pascuntur. Sed si haec quae in praecedentibus explicata sunt, falso, aut infirmo nimis fundamento niterentur, procul dubio, quando hoc submoveatur, submoventur etiam et extemplo cadunt quae supra, adeo pulchre, ignoranter tamen, ne dicam temere, aedificata sunt. Doctrina obedientiae certe non submovetur, non cadit, non deletur; adest, semperque, inter religiosos praesertim, aderit vera obediendi obli-

(70) *Biblia sacra Vulgatae editionis... cum selectissimis literalibus comment.*, XIII, 301, Venetiis, 1750.

(71) ALVAREZ DE PAZ, *De obedientia apud CORN. A LAPIDE, Comm. in sacram Script.*, VI, 125, Parisiis, 1868.

gatio, quam et nos, prout Ecclesia admittit et docet, admitimus et docemus. Dubitatio ergo, si quae adest, originalem nostri loci textum tangit, an scilicet idipsum ac Vulgata, an aliud dicat. Tres ergo sunt quaestiones quas explicandas in hoc loco sumimus: Quare ad originalem textum recursum facimus? — Quinam est verus textus originalis? — Ac tandem quaenam est vera textus originalis significatio?

§ I. — *Quare ad originalem textum recursum facimus?*

Rationes quae nostrum ad textum originalem recursum justificant, in sequentibus proponuntur:

1) Nostra Vulgata est simplex versio, versio autem non eundem ac textus originalis habet valorem; textus vero originalis noster non est autographus auctoris, ubi nec transcriptionis, aut translationis error admitti potest; tota deinde versionis auctoritas intrinseca in sua cum textu originali conformitate sita est. Si ergo verba Vulgatae cum originali textu non concordant, non sunt certe secundum sensum materiale textus errati, seu prout in textu latino jacent, sumenda, sed potius juxta textus originalis veritatem corrigenda. Quanvis igitur nulla in nostro Vulgatae textu esset dubitandi ratio, sufficeret scire eam esse ab alio anteriori textu desumptam, ut saltem ob curiositatem, Vulgatam cum illo, cum originali scilicet, textu comparare vellemus. Quid dicit textus originalis? Concordat cum eo nostra versio latina? Ageretur ergo tantum de erroris non quidem facto, non timore, sed possibilitate propulsanda.

2) Hic tamen non agitur de simplici erroris possibilitate investiganda, sed de graviore ejusdem probabilitate propulsanda. Re quidem vera, quaelibet sententia alicujus textus originalis, semel scripta, uno tantum modo scripta est, uno dumtaxat scribi potuit; veritas enim una est. Cum autem qui in praecedentibus laudantur et citantur auctores, tot iisque tam diversis modis sententiam nostram producant, aliquid aliud huic sententiae subesse quam quod id superficie apparet, suspicionem ingerunt, ideoque ad textum originalem legendum urgent. Haec autem textus apud illos auctores diversitas ad omnia fere verba se extendit:

Vir obediens loquetur victoriam: ita secundum Minores dei sacri ritiri dictos (72), Germ. a S. Stan. (73), Naval (74), Passionistas (75), Scara-

(72) Op. cit., p. 146.

(73) *Vita di Gemma Galgani*, p. 61.

(74) Op. cit., p. 573.

(75) Op. cit., p. 23.

melli (76). — *Vir obediens loquetur victorias*: ita citant Dirkinck (77), Germ. a S. Stan. (78), Alphonsus de' Liguori (79), Morganti (80), Humbertus de Romanis (81), Valencina (82). — *Vir obediens loquitur victorias*: ita invenitur apud Greg. M. (83) et Humbertum de Romanis (84). — *Vir patiens loquitur victorias*, juxta Ambrosium Ausberti (85). — *Vir benedicens loquitur victoriam*, ut ait Augustinus (86).

3) Vetus Vulgatae Testamentum a Hieronymo juxta veritatem hebraicam translatum est. Ipse tamen in textu vertendo alias versiones prae oculis habuit, quas non semel consuluit, aliquando huic, aliquando illi inclinans (87).

a) *Knabenbauer* in suo ad Proverbia Commentario scribit: "Versio Vulgatae facile explicatur, nam vocem LXX quandoque vertunt *νίκος* et apud Syros habet vox notionem victoriae" (88). Huic auctori, qui saepe bene dicit, in hoc loco non assentimur. Legantur nostri dissensus rationes:

α) *Hath* et *Redpath* (89) duodecim Veteris Testamenti loca afferunt, quae *νίκος* adhibent. Ex his loca illa remove oportet, quae e II et IV. Machabaeorum sumuntur, eo quod hi libri originaliter graece scripti sunt, ideoque in inquisitione usus verbi apud LXX, qui ex hebraico textu in graecum verterunt, non faciunt ad rem; ex reliquis decem, quorum tantum septem in hebraico voci *nesaj* respondent, nullus locus per verbum *victoria* redditur. Ergo haec Vulgatae explicatio, ab usu vocabuli apud LXX mutuata, approbari nequit.

β) Insuper, si Vulgatae versio in textu LXX explicationem invenire deberet, Hieronymus alia a nostro longiora loca certe non quaesivisset; potius vero ipsum Proverbiorum textum apud LXX legisset, ubi nec *victoria*, nec *νίκος* nec aliud simile, sed illud quidem mirandum *φλασσόμενος* apparet. Quomodo ergo Vulgatae versio in textu LXX explicationem invenire potest?

γ) Tandem, si vox *nesaj* apud Syros *victoriae* notionem prae se fert, quid ad nos? quid ad nostram quaestionem? ubinam gentium, vel potius

(76) Op. cit., p. 102.

(77) Op. cit., p. 226-227.

(78) *Vita di S. Gabriele*, p. 221.

(79) Op. cit., p. 168.

(80) Op. cit., p. 216.

(81) Op. cit., p. 711.

(82) Op. cit., p. 275.

(83) Op. cit., M. PL. 76, 765.

(84) Op. cit., p. 810.

(85) *In Apocalypsim*, l. I. *Bibl. Patr.*, XIII, 419, Lugduni, 1677.

(86) *Speculum et liber de divinis Script.* C. S. E. L., XII, 65.

(87) Cf. FIELD, *Origenis exapla*, I, 24, 34, Oxonii, 1875.

(88) *Comment. in Proverbia*, p. 159. Paris, 1910.

(89) *Concordance to the Septuagint*, II, Oxford, 1897.

operum S. Hieronymi legitur quod ad versionem verbi hebraici explicandam ad syros recursum S. Doctor fecerit, ut in suspicionem, et minus in probabilitatem ne dicam certitudinem, venire possimus quod Hieronymus *victoriam nesaj* vertit, eo quod apud syros *nesaj victoriam* significat? Si *Knab.* non ad linguam syriacam sed ad chaldaicam recursum fecisset, minori ei assentiri possemus difficultate.

b) Nos vero Hieronymum suam versionum elementis hinc inde arbitrario desumptis adornasse putamus. Re quidem vera, A. Σ. Θ. legunt: *εἰς νίκος πορεύσεται* — LXX vero ὑπήκοος φυλασσόμενος λαλήσει. — Hier. tandem: *vir obediens loquetur victoriam.*

Hebraicum *schomea'* proprie *audiens* ad significationem obediendi (*audiens ad obediendum*) — ὑπήκοος apud LXX — descendit; ideoque Hieronymum phrasim *vir obediens* e LXX mutuasse sine temeritate arbitramur.

Verbum *y^ddabber*, quod apud LXX λαλήσει et apud alios interpretes πορεύσεται vertitur, in Vulgata *loquetur* dicitur; quam ideo versionem a LXX derivare procul dubio sumimus. *Victoria* a nullo alio interprete descendere potest quam ab A. Σ. Θ.

Si *Hier.* εἰς νίκος praefert, adhibeat consequenter et πορεύσεται; quod si λαλήσει ei praeplacet, non spernat φυλασσόμενος.

Haec confusio, aut mixtio versionum ad investigandum textum originalem nos magis premit.

4) Ipsa nostra versio in se considerata plenam a nobis non meretur approbationem. Etsi aliqualis hujus loci explicatio facta antea fuerit, hanc phrasim miram esse, nemo inficias ibit: quid enim sibi vult *loqui victoriam*, cum haec phrasim inter classicos non inveniatur? Quanam inter *loqui victoriam* et *obedientiam* relatio intercedit? Quod si quis verba mutandi jus sibi adscribat et *obtinere victoriam* dicat, numquid hoc jus ab omnibus agnosceretur? Et tunc non est verum victoriam externam semper obediendo obtineri; ad ordinem supranaturalem et divinum confugere ut explicationem hujus relationis inveniamus non possumus, nam de ordine supranaturali nec in textu, nec in contextu quidem, verbum fit. *Clericus* (90) phrasim *loquetur victoriam* absurdam pronuntiat.

5) Tandem ad textum originalem recurrere, ut auctoritatem Vulgatae elidamus, non est contra praeceptum concilii. Audiatur *Hetzenauer*: "Trid. declarans, *ex omnibus LATINIS editionibus, quae circumferuntur*, Vulgata pro authentica habendam esse, auctoritatem versionis Graecae, qua Apostoli et Ecclesia usi sunt, vel ipsum textum originalem, quem hagiographi, Spiritu sancto inspirante, conscripserunt, infringere atque attenuare noluit. Ergo interpres catholicus in locis praesertim ambiguus et minus accurate transla-

tis a Vulgata versione Latina ad Graecam versionem ac textum originalem *appellare potest ac debet*" (91). His consideratis, vehemens in animo exurgit motus, hanc quaestionem penitus investigandi, an scilicet Proverbiorum verba, prout in Vulgatae textu jacent, an aliter a Spiritu Sancto sint prolata. Huic intimo animi motui obsistere ob veritatis amorem non possumus. In sequentibus ergo hoc examen instituere volumus; ubi primo de hujus loci critica, deque ejus exegesi dein agemus.

§ 2. *Quisnam est verus textus originalis?*

Antequam alicujus loci exegesis instituat, an ipse genuinus ad nos usque pervenerit, an corruptus aliquando fuerit, examinare oportet. Hoc ergo quoad nostrum Proverbium textum examen in praesentiarum aggredimur. Duo sunt media quibus nos ad textum originalem restituendum pervenire possumus: textus originalis, si non disparuit, inspectio — versionum, quae a textu originali in decursu temporis derivarunt, collatio.

I. Textus originalis in publicis rabbinorum documentis asservatus est et in privatis piorum israelitarum scriptis:

1) Textus traditus habetur in Masora; haec autem semper sibi constans, eadem nobis verba offert:

'ed k^ezabim yo'bed "u^eisch schomea' lanesaj y^edabber"

S. Baer in sua textus masoretici editione verbum *schomea'* "plene ut 15, 32 auctore Masora" scriptum esse dumtaxat notat (92).

Kittel quae intra virgulas includuntur verba corrupta quidem fuisse affirmat, affirmationis vero suae fundamentum nullum affert; forte id ob difficultates internas dixit (93).

2) Praeter Masoram codices manuscripti praesto sunt nobis, qui inter se diligenter collati ad verum textum inveniendum deservire possunt. Hi tamen codices concordēs hac in re omnino sunt. Qui codicum lectiones colligerunt sunt *Kennicott* (94) et *De Rossi* (95). Hic nihil ad locum notat; ille autem codd. 93, 95, pro *k^ezabim* habere *sch^eqarim* observat, quod quidem in nostra quaestione nullius est ponderis.

II. Aliud praeter Masoram et codices criterium ad cognoscendum textus in diversis saeculis statum sunt versiones. Ex *Kaulen* (96) *Targum* (p. 170) saeculo 6.^o et 7.^o debetur; *Vulgata* nostra saeculo 4.^o et 5.^o in lu-

(91) HETZENAUER, *Theol. biblica*, I, 370, Frib., 1908.

(92) *Liber Proverbiorum*, p. 45, Lipsiae, 1880.

(93) *Biblia hebraica*, 2, Lipsiae, 1909.

(94) *Vet. Test. cum variis lectionibus*, II, 464, Oxonii, 1780.

(95) *Variae Lectiones Veteris Test.*, IV, 99, Parmae, 1788.

(96) *Einleitung in die Hl. Schrift*, 5, I, Freiburg, 1911.

cem prodiit (p. 190); versiones graecae prius adhuc sunt adornatae: *Sym.* inter a. 193-211 post Christum natum (p. 141), *Theod.* circa a. 185 (p. 140), *Aquila* vero inter 117-138 (p. 139); *LXX* tandem post a. 300 ante Christum (p. 133); *Peschitto* pertinet ad saeculum 1 et 2 post Christum (p. 179).

Harum versionum ductu textus hebraici statum in diversis saeculis cognoscimus; illas ergo et hunc nos primo proponemus, ut dein omnibus collatis et perpensis, tandem aliquando rei veritas eluceat.

Masora	LXX	A. Σ. Θ.	Syrus	Targum
<i>Schomea'</i>	ὀπήχοος	—	<i>schomu' o'</i>	<i>schamo' a'</i>
<i>lanesaj</i>	φυλασσόμενος	εἰς νίκος	<i>t' riso' ith</i>	<i>scharira' ith</i>
<i>y' dabber</i>	λαλήσει	πορεύσεται	<i>m' malel</i>	<i>m' mallel.</i>

Simplex hujus elenchi inspectio differentias non paucas in versionibus patefacit. Undenam descendunt illae differentiae? Translatores textum originalem legerunt, juxta cujus litteram et intelligentiam verterunt. Illi ergo vel alium ac nos textum prae manibus habuerunt, ideoque necessario in translatione differunt; vel eundem ac nos textum adhibuerunt, et tunc diversimode ex diversa intelligentia verterunt. Nunc autem in versionum cum textu hebraico comparatione, ne a nobis exigatur, ut modum et rationem mutationum, quae in translatione textus sunt, explicemus; nobis enim investigare sufficit an versionum verba e verbis hebraicis aliquo modo descendere poterint necne. Cum totus quaestionis cardo circa tria verba: *obediens, loquetur* et *victoriam* vertatur, ad illa nostra restringitur investigatio.

1) Primum, de quo quaestio movetur, verbum est *schomea'*. a) Syriacam et rabbinicam in Targum hujus verbi versionem, prout in schemate videri oculis potest, lectionem nostram hebraicam supponere evidenter apparet.

b) *LXX* habent ὀπήχοος, de quo duplex fieri potest hypothesis, aut verbum scilicet conservatur, prout in textu nunc adest, aut mutatur.

Si ὀπήχοος immutatum conservatur, quin ad philologicas quaestiones de propria verbi significatione descendamus, scire sufficit verbum *schama'* hac illave forma, aliquando obediendi significationem induere; unde participium praesens *schomea'* *obediens* bene verteretur. Hac simplici verbi possibilitate idea obedientiae textus graeci ab hebraico originali satis bene derivaretur.

In altera autem hypothesis *Crawford H. Toy* (97) "G. ὀπήχοος for ἐπιχοος" (*audiens*) scripsisse affirmat. Rei possibilitas in dubium verti certe nequit. Imo, hac admissa correctione, versio graeca cum aliis versionibus me-

(97) *A crit. and exeg. Commentary on the book of Proverbs*, p. 413, Edinburg, 1904. Hanc emendationem *Toy* sumit a *Jäger*, ut apud *Lagarde* videre licet (*Anmerkungen zur griechischen Übersetzung der Proverbien*, p. 69, Leipzig, 1863).

lius connecteretur. Simplex tandem ac directa verbi hebraici versio est *audiens* et per *audiens obediens*; hic enim aure et voluntate audit. Haec tamen textus mutatio nullo externo documento in codicibus graecis confirmatur (98). Palaeographia mutationem non confirmat; secundum illam enim ε̄ (ἐπήκοος) non mutatur regulariter in ὀ (ὀπήκοος), bene vero ἦ in ὀ. Post longam et laboriosam rei inquisitionem unum exemplum: μάρτερες pro μάρτυρες in antiquis papyris invenire potuimus, quod tandem nihil probat (99).

Quod si tandem aliquando haec forma ἐπήκοος (*audiens*) esset in versione graeca praeferenda, melius adhuc hoc modo sua a verbo hebraico *scho-mea'* derivatio demonstraretur. An graeca hujus verbi versio, prout in textu LXX legitur, recta sit necne in dubium verti potest, hic est enim unus in toto Veteri Testamento locus, ubi *scho-mea'* per ὀπήκοος redditur. Vide Prov. 13, 1 ubi nihil, et 4, 3 ubi forte nihil huic ὀπήκοος in textu hebraico respondet.

2) Secundum nostri textus verbum investigandum *lanesaj* est, eique quatuor valde diversae versiones respondent: φυλασσόμενος, scilicet, εἰς νίκος, *riso'ith*, et *scharira'ith*. De his ergo quaeritur an ad nostrum textum hebraicum reduci sine violentia possint, an forte alium a nostro diversum supponunt.

a) Verbum φυλασσόμενος valde ab hebraico *lanesaj* differre primo jam obtutu apparet. *Clericus*, scriptor protestans, de phrasi φυλασ. λαλήσει dicit: "quod quid sit nescio" (100). Non tam magno contemptu loquuntur alii: *Hath* et *Redpath*, quum hebraicam hujus verbi originem proponere nequeant, signo crucis post graecum vocabulum posito (101), notant difficultatis solutionem in connexionione aut collatione utriusque textus, hebraici scilicet et graeci, inveniri (102), quasi dicerent: unusquisque studio privato et comparativo sibi videat. Major adhuc huic loco conceditur favor. "Magnae utilitatis est (*Proverbiorum*) versio graeca, ait *Knabenbauer* (103), quia multiplicem praebet opportunitatem emendandi textum hebraicum. Id praecipue habetur in his locis:... 21, 28". Quod quidem, si volumus, tentare nunc nobis licet.

α) Duo scriptores graeci, quorum lingua materna graeca erat, et melius quam nos, ni fallor, graecam linguam callebant, loci hujus interpretationem nobis reliquerunt:

1) *Chrysostomus* sensu proprio vertit cum dicit: "Vir obediens cu-

(98) HOLMES AND PARSONS, *Vetus Testam. graecum cum variis lectionibus*, III, Oxonii, 1823.

(99) SCHUBART, *Papyri graecae berolinenses*, p. 2, lin. penult., Bonnae, 1911.

(100) *Veteris Testamenti libri hagiographi*, p. 628, Amstoladaemi, 1731.

(101) *A Concordance to the Septuagint...* II, p. 1443, col. 2.

(102) *Ib.*, III, *Preface, Abbreviations and Symbols*.

(103) *Comment. in Prov.*, p. 18, Parisiis, 1910.

stodia detentus loquetur, id est, etiamsi obediendo sit obnoxius et *custodia teneatur*, fiduciam tamen conservare poterit. Vel sic: Falso teste improbe se gerente, is qui legi obediens est, in custodia loquetur” (104).

II) *Procopius de Gaza* vero, qui sensu translato utitur, dicit: “*Testis mendax peribit*. Diabolus qui mendaciter voluptatem brevem extollit et affectu periturorum hominem decipere conatur, ut in transgressionem Dei mandatorum inducatur, mittetur in ignem aeternum ipsi ac angelis ejus praeparatum. *Vir autem obediens custoditus loquetur*. Qui Deo obedit, sanctaque servat ejus mandata, a *satanica deceptione immunem sese custodiens*, operibus ac verbis verum bonum confitebitur ad utilitatem eorum qui vident ac audiunt illum” (105).

III) Sed hi scriptores ecclesiastici, quamvis graecam linguam apprime callerent, cum tamen hebraicam ignorarent, verba versionis LXX litteraliter sine ulla ad textum originale relatione interpretati sunt, ideoque criterium esse ad novam lectionem hebraicam constituendam nequeunt.

β) Juxta *Knabenbauer* “G. effert sensum aptum: ἀνὴρ δὲ ὑπήκοος φυλασσόμενος, λαλήσει, *vir audiens* (accurate probans dicta) *caute φυλασσόμενος loquetur*, seu sibi cavens multa cum cautione loquetur; unde conjectare licet in hebr. pro *nesaj* formam *nezhar* esse ponendam” (106). Verbum *zahar* certe, juxta *Gesenius* (107), *commonefactus est, cavet sibi* significat; juxta *Mandelkern* (108), *admonitionem admittere, monitis parere, sibi cavere*.

Huic expositioni sequentes opponimus observationes: I) Nostri non interest an G., prout nunc exstat, *aptum* in seipso praebeat sensum, necne; sed potius an *verum* Spiritus Sancti per hagiographum loquentis sensum recte calluerit, apte verterit, ac fideliter offerat. II) Insuper linguae hebraicae simplicitas omnibus nota est; huic simplicitati verborum coacervatio magnopere adversatur. Jamvero sententia nostra, hac admissa correctione, valde implexa apparet, tria enim sine interruptione verba offeret et quamvis haec coacervatio absolute impossibilis non sit, suspicionem ingerit propositam correctionem non esse forte sat feliciter electam. III) Formae verbales quae in lingua hebraica adverbialiter adhibentur non ex forma *niphal*, generatim loquendo, sed praecipue ex infinitivo absoluto formae *hiphil* desumuntur (109). Duo quae ex forma *niphal* citantur exempla in substantiva nomina prius conversa sunt: *nora’oth* (ps. 139, 14) *terribiliter* et *niphla’oth* (Hi. 37, 5, Dn. 8, 24) *mirabiliter* (110). Quae autem hic proponitur emendatio ex for-

(104) *Fragmenta in Salomonis Proverbia*, 21, 28. M. PG. 64. 726.

(105) *Comment. in Proverbia*, 21, 28. M. PG. 87, I, col. 1438.

(106) *Comment. in Proverbia*, p. 159, Parisiis, 1910.

(107) *Thesaurus*, cf. Verbum.

(108) *Concordantiae hebraicae*, cf. Verbum.

(109) TOUZARD, *Grammaire hébraïque abrégée*, 3, p. 344, n. 382, b., Paris, 1911.

(110) KAUTZSCH, *Hebräisch Gram.*, 28, § 118, 5, b, p. 391, Leipzig, 1909.

ma *niphal* sumitur. iv) Participia passiva in lingua hebraica dividuntur quoad significationem in participia formae *kal* et respondent latino vel graeco participio passivo praeteriti temporis, ut *kathubh scriptus* et aliarum formarum ut *niphal* et respondent gerundio latino: ex. gr. *nora' metuendus* (ps. 76, 8), *nibra' creandus* (ps. 102, 19), *nehmad desiderandus* (*desiderabilis*. Gn. 3, 6), *nehshab aestimabilis* (Is. 2, 22) et alia (111). Possetne ergo nostrum *nezkar cautus* significare? v) Tandem quae a *Knabenbauer* proponitur hujus vocabuli mutatio adeo est profunda ut jam prima fronte non immerito rejiciatur: ex integra enim dictione una dumtaxat littera (*n*) remanet; caeterae vel libere mutantur (*j* in *h*), vel liberius eliminantur (*i*), vel liberrime adduntur (*r*).

γ) *Toy* (112) proponit *nasaj* in *nasar* mutare, quod quidem a *Capello* (113) sumit. i) Haec nova verbi mutatio ita demonstrari posset; Significatio *custodire* (*Mandelkern*) cum *φύλασ.* congruit; mutationes valde minuuntur, habetur enim simplex unius *j* in *r* commutatio; hae duae litterae in moderna litterarum hebraicarum scriptura, si minus appareat aut totaliter dispareat secunda virgula vel lineola pro *j* habetur *r*. His adde cum *Hitsig* (114) LXX in Jer. 22, 15 'Αχαλ pro *arax* legisse. Haec omnia confirmari adhuc possunt ex modo quo LXX verbum *φύλασσαι* in toto Proverbiorum libro accipiunt: Quibusnam ergo verbis hebraicis respondet in illo libro versio verbi graeci? Textum legamus: Pro *φύλασ.* nihil in hebraico textu respondet in 8, 34; 16, 4, 17; 29, 27. In textu primitivo aliquid quidem respondet, sed legenti inquierendum relinquitur in 21, 28; 25, 10 (115). Semel proponitur *schama'*: 19, 27; septies *nasar*: 2, 8; 4, 13; 6, 20; 13, 3, 6; 16, 17; 28, 7. Passim *schamar*. Ergo cum pro *lanesaj linsar* proponitur, non arbitrario proponitur. *Ehrlich* (116) non formam grammaticalem *linsor*, sed participium *noser* praefert. ii) Contra hanc et etiam contra praecedentem, imo et contra alias, quae adhuc proponi possent verbi hebraici ob textum graecum emendationes, haec sequentia observamus: In Proverbiorum libro versio graeca aliquos versus omittit, qui in Masora inveniuntur, aliosque numero majores addit qui in Masora desiderantur. Aliquae additiones ex aliis libris Veteris Testamenti desumuntur ut 26, 11 ex Eccli. 4, 21; aliae vero aliunde sunt (117). Aliquando G. aptum offert medium ad hebraicum textum restaurandum. Non raro translator sensum originale non intellexit. Aliquando a versione originali recedit ut propriorem formam graecam eligit, ali-

(111) KAUTZSCH, op. cit., § 116, a, b, p. 371.

(112) *A crit. and exeg. commentary on the book of Proverbs*, p. 413, Edinburgh, 1904.

(113) *Critica sacra*, p. 265, Lutetiae Parisiorum, 1650.

(114) *Die Sprüche Salomo's*, p. 217, Zürich, 1858.

(115) HATH and REDPATH, op. cit.

(116) *Randglossen zur Hebräischen Bibel*, VI, 127, Leipzig, 1918.

(117) ORRILEY, *A Handbook to the Septuagint*, p. 107. New York, 1919.

quando ut pulchriorem antithesim aut propriorem ideam obtineat (118). Si haec ita se habent, ut benevolus lector facile videre per se potest, potest ne vir criticus ad ultiores inquisitiones cum spe fructus se extendere, ut meliorem textum hebraicum ex graeco obtineat? Videtur negandum. In specie de correctione quae a LXX (φωλάσ.) pendet, ineptam esse (*was jedoch keineswegs passt*) affirmat *Ehrlich* rabbinus (119).

δ) Tandem non deest qui, omni correctione rejecta aut ommissa, verbum graecum ad hebraicum reducat: "La racine *nesaj*, ait *Baumgartner* (120), renferme l'idée de durée, de solidité, de fermeté; il est aussi possible que la traduction φωλασόμενος se rapporte simplement à cette notion de *nesaj*."

b) εἰς νῆκος. α) "Ad eruditionem Aquilae philologicam pertinere videtur mos ejus, in vocibus hebraeis minus usitatis vertendis, ad cognatas dialectos, Chaldaeam nempe et Syriacam confugendi" (121). Jamvero *nasaj*, aut *n^osaj* in dialecto respective chaldaica (*LEVY, Lexikon*) et syriaca (*BRUN, Lexikon*) *vincere, triumphare* significat.

β) Quod si nonnulli quod Aquila generatim fecit, in hoc loco fecisse non admittant et insuper, cur etiam Sym. et Theod., sicut ipse vertit, εἰς νῆκος vertisse explicare velint, observent Aq., Sym., et Theod. consuetudinem habere *lanesaj* per εἰς νῆκος vertendi (122). Ita videre quicumque in propriis locis potest apud *Field*, cf. ps. 49, 10 (A. E), ps. 89, 47. (A), Is. 25, 8 (A. Θ), 33, 20 (A. Θ), 57, 16 (A).

γ) De phrasi εἰς νῆκος dicit *Clericus* protestans: "Sic solent vertere (aliae versiones) *lanesaj*, quamvis absurde" (123).

c) *Versio syriaca et chaldaica*. Verba, quibus hae duae versiones ad textum hebraicum reddendum utuntur textui hebraico nullatenus respondere, certum est.

α) "Targum Proverbiorum textui syriaco (*Peschitto*) intime cohaeret, ita ut optimum sit medium ad hujus intelligentiam" (124). Ergo in expli-catione textus hebraici possumus versionem chaldaicam *scharira'ith* negli-gere.

β) *Versio syriaca (Peschitto)*, prout nunc exstat, textus hebraici non litteram, sed verbum et sensum fideliter reddit. Aliquando tamen origina-lem linguam sat libere vertit, ibique intentio certe apparet libri contentum intelligibilem reddendi; ideo etiam phrasim saepe circumscribit, quae a lec-

(118) TOY, op. cit., p. XXXII.

(119) Op. cit., loc. cit.

(120) *Etude critique sur l'état du texte du livre des Proverbes*, p. 195, Leipzig, 1890.

(121) FIELD, *Origenis Exapla*, I, p. XXIV, Oxonii, 1875.

(122) *Versio LXX viralis lanesaj* per εἰς νῆκος (in victoriam) semel (2 Sm. 2, 26) reddit.

(123) *Veteris Test. libri hagiographi*, p. 628, Amstolaedami, 1721.

(124) KAULEN-HORBERG, *Einleitung*, 5, I, p. 170, n. 134, Freiburg, 1911.

tore aut auditore ordinario non statim intelligeretur; aliquando textum additionibus amplificat (125). Videretur ergo quod locus noster non litteram, sed sensum reddit.

γ) Verbum *lanesaj* in toto Veteri Testamento 32.ies habetur. Versio Targum sensum temporis, uno Proverbiorum loco excepto, ei constanter tribuit: *in aeternum, in perpetuum*. Versio syriaca eandem, nostro et aliis tribus locis demptis, temporis versionem offert: semel (Is. 25, 8) unum verbum hebraicum *lanesaj* duplici exprimit idea, scilicet, "absorbebitur mors (hebr. *lanesaj* cum victoria (*b^ezoku*) in sempiternum (*t^ro^lmin*); deinde Is. 28, 28 *lazoku* quasi (additio) ad victoriam; tandem Hab. 1, 4 *b^ezakuth* cum aequitate, quod juxta *Payne Smith* (Lexikon syr.) *innocentia, justitia* significat. Sicut ergo syrus hanc sibi sumpsit in tribus locis libertatem, ut *lanesaj* per *victoriam* (bis) et *justitiam* (semel) redderet, in Proverbiis eadem utitur ut ponat *recte* (*t^riso'ith*).

3) Ultimum textus hebraici verbum, quod per versiones confirmandum aut evertendum est, *y^edabber* nominatur. Omnes versiones in significatione *loqui* nostro textui tribuenda concordantes sunt, praeter A. Σ. Θ. qui *πορεύεται* vertunt. Jamvero, sicut ad explicandum *sic vixos*, hinc ad linguam syriacam et chaldaicam, illinc ad morem vertendi, quem hi translatores tenuerunt, recursum fecimus, eodem modo explicari a nobis verbum *πορεύεται* debet, quod ab illo intime dependet. Re quidem vera syr. *d^ebar* transitive *duxit* significat, intransitive vero *profectus est* (BRAUN, *Lexikon*); etiam radix arabica *dabara* ad hunc sensum pertinet: *sequutus est*; inde *deborah* est examen apum a regina ductum (GESENIUS, *Thesaurus*). Rabbinus *Ehrlich*, dicens: "*Die zwei letzten Worte sind heillos verderbt*" (126), eorum in textu praesentiam agnoscit.

Locus noster igitur, prout ex textu masoretico, ex codicibus, et versionibus constat, verus est, sanus est. Cum ergo arboris corticem sanam habeamus, quaeritur quaenam est ejus medulla? Scimus Proverbiorum sententiam esse genuinam, quisnam est verus ipsius sensus?

§ 3. — *Quaenam est vera textus originalis significatio?*

I) Post criticam alicujus textus discussionem, quae magis minusve laboriosa esse potest, tandem aliquando sensus clare ob oculos splendescere solet et tunc exegesis difficultates ope criticae evanescent. Quandoque tamen textus biblici, qui rigorosae crisi subjecti fuerunt, manent quoad sensum, prout erant, difficultatibus scilicet involuti.

1) Quod ad nostrum, quem proposuimus, sacrae scripturae textum

(125) KAULEN-HOBERG, op. cit., pp. 176-178, n. 137.

(126) *Randglossen zur hebräischen Bibel*, VI, 127, Leipzig, 1918.

attinet, auctores interpretationis difficultatem graviter senserunt: Juxta *Bun- sen* "versus 28 est grammaticae difficilis" (127). — *Frankenberg* dicit: "Hujus versus pars prima est clara, secunda autem absolute inintelligibilis" (128), quam consequenter sine versione relinquit, punctis lineam implens. — *Cle- ricus* scribit: "Is mihi videtur loci sensus, in quo nullus idoneus invenitur, nisi quod deest suppleatur" (129). — "Phrasis *vir qui audit* nullum dat in hoc contextu bonum sensum... Praedicatum non est minus obscurum. *Tò loqui semper* est dictio quae a nemine, sive bono, sive malo, in iudicio aut alibi naturaliter proferretur... Cum ergo satisfactoria loci aut interpretatione, aut emendatione careamus, sententia bene relinquitur sine versione aliqua (130).

2) Difficultatem hos scriptores non exagerasse, sed verum statum quaestionis gravibus illis verbis simpliciter exposuisse probat magna, quae apud exegetas invenitur, interpretationum diversitas:

"*Testis mendaciorum peribit* et non testificabitur amplius; q. d.: *peribit ab illo munere*. Verum *vir qui* non testificabitur nisi quod *audit*, hoc est veritatem quam audivit et novit, *perpetuo loquetur*, et testis munere fungetur perpetuo (131).

"Hominem procaci et praecipiti lingua, qui linguae suae petulantia malum atque exitium sibi creat, opponit viro cordato, qui nonnisi prudenter et tempestive loquitur, hunc vocat *virum audientem*, quia plus audit quam loquitur; eumque *semper locuturum*, quia cum verax sit, os illi non occluditur, quomodo mendaci et mendaciis suis pereunti obstruitur. Hic videtur sensus esse hujus loci simplicissimus. Nempe unumquemque oportet esse, juxta hortationem D. Jacobi (1, 19): *velox ad audiendum, tardus ad loquendum*. *Vir audiens* Salomonis est is quem Jacobus *velox ad audiendum* vocat (132).

"*Testis mendaciorum*, mendax, qui vel privatim, vel publice in judiciis loquitur contra veritatem, sive fiat spe lucri, sive ex odio, vindictaeque cupiditate, *peribit*, tandem enim fit, ut deprehensus et falsi convictus plectatur... Sed *vir qui audit*, qui tantum quae ipse audivit, viditque testatur, non mendacia, i. e., non prius loquitur, quam, quid verum sit certo resciverit, *perpetuo loquetur*, dabitur ei semper facultas ferendi testimonium, idque, ubi opus est, requiretur, quum testis fide dignus habeatur; neque enim ob mendacium peribit. Nam qui perit, ei eripitur amplius loquendi facultas" (133).

Saadias israelita tres affert hujus loci expositiones: "falsus testis peribit,

(127) *Die Bibel*, III, 353, Leipzig, 1868. "28 ist auch sprachlich schwierig".

(128) *Die Sprüche*, p. 124, Göttingen, 1898. "Die erste Vershälfte ist klar, die zweite ganz unverständlich".

(129) *Veteris Testamenti libri hagiographi*, p. 628. Amstolaedami, 1731.

(130) CRAWFORD H. TOY, *The book of the Proverbs*, pp. 410-411, Edinburgh, 1904. "The expression *a man who hears* yields in this connexion, no good sense... The predicate is not less obscure. *To speak for ever* is something which would not be naturally said of... any man good or bad, in a court of law or elsewhere... In default of a satisfactory interpretation or emendation the clause is better left untranslated.

(131) BAYNUS, *Comment. in Prov. in Script. Sacrae cursus completus XVI*, 1168, Parisiis, 1830.

(132) CAPPELLUS, *Comm. et notae criticae in Vet. Test.*, p. 474, Amstolaedami, 1689.

(133) ROSENMÜLLER, *Scholias in Vet. Test.*, I, 543-544, Lipsiae, 1829.

qui autem quod audivit fideliter narrat, subsistet. — Punitio falsi testimonii debet semper proferri, ut sit omnibus admonitio — falsus testis peribit, vir autem qui audit Deum peribit” (134).

Juxta *Ehrlich* rabbinum: “*Vir audiens post Mercerium* ille intelligitur qui vere testis est, quique illud dumtaxat affirmat quod revera audivit; *lanesaj y^edabber* autem significat illius testis testimonium semper stare. Hic tamen sensus quoad secundum membrum nimis coactus videtur; quoad primum vero non apparet cur testis auditus in specie, non autem potius testis simpliciter nominetur. Melius ergo, ni fallor, per *isch schomea* illum intelligeres qui dicta falsi testis audit; ideoque in secunda sententia de effectu ageretur quem falsi testis testimonium in audiente producit. Hic tamen effectus nequit per *lanesaj y^edabber* exprimi” (135).

“*Vir audiens*, dicit *Bertheau-Nowack*, ille certe est, qui accurate audit, quiete quod audit considerat, ut proprium ipsius testimonium firmum maneat: *semper loquetur*, hoc est, ejus testimonium in aeternum manebit” (136).

“Hic versus antiquis versionibus, juxta *Malan*, varie redditur. Simplex tamen hebraici textus lectio praefenda videtur: Testis mendaciorum (falsus testis) peribit; qui autem illum audit mendacia proferentem, *lanesaj*, id est, aut semper, aut melius victoria supra falsum testem, quatenus ejus falsitatem rejicit, loquetur” (137).

Alias, quas collegimus, auctorum interpretationes, lassitudinis lectorum vitandae causa, omittimus (138).

(134) *Ceuvres complètes*, VI, 42, ed. Derembourg, Paris, 1894.

(135) *Randglossen sur Hebr. Bibel*, VI, 127, Leipzig, 1918.

(136) *Die Sprüche Salomo's*, p. 130, Leipzig, 1883.

(137) *Original notes on the book of Proverbs.*, III, 46, London, 1893.

(138) Quae supra in textu praetermisimus, hic ad calcem locum habeant necesse omnino est.

Audiat Reuss: “Il est difficile de dire ce que c'est ici que l'homme qui écoute. Si le texte est sain, on peut songer d'un côté à un témoin qui parle sans être renseigné; de l'autre, à un témoin, qui se renseigne avant de parler, mais dont le tour viendra et qui se fera écouter”. (*Philosophie religieuse et morale des Hébreux*, p. 235, Paris, 1878).

Fillion: “D'après le contexte et surtout, d'après l'hébreu, elle (la parole) designe le témoin honnête qui ne parle qu'à bon escient, et qui fait triompher la juste cause. L'hébreu porte littéralement: *L'homme qui écoute* (c.-à-d. qui est désireux de s'instruire des affaires au sujet desquelles il aura à rendre témoignage) *parlera toujours* (il pourra parler sans lasser les juges, et sa parole aura une grande autorité)”. (*La Sainte Bible*, IV, 503, Paris, 1903).

Lesêtre: “Heb. 'vir audiens loquetur perpetuo'. L'homme qui écoute... c'est lui qui fait attention à la voix de sa conscience, et à celle de l'autorité, pour leur obéir. Celui-là parlera toujours, ne cessera pas d'être écouté et cru”. (*La Sainte Bible, Le livre des Proverbes*, p. 183, Paris, 1879).

Crampon: “*Qui écoute* pour bien s'instruire et connaître la vérité *pourra parler toujours*: il sera toujours appelé à déposer son témoignage, étant trouvé constamment véridique” (*La Sainte Bible*, IV, 348, Paris, 1902).

“*Chi afferma*, letter, *chi ode*, *chi ascolta*... “Et postquam sensum LXX aperuit, addit: “Altri intendono dell'uomo che ben ode, conscio cioè e coscienzoso di ciò che attesta. In questo senso gli arabi dicono: *Pocchio che non ha visto e fa da testimone, sia cavato*”. (*MEZZACASA, Il libro dei Proverbi di Salomone*, p. 74, Torino, 1921).

Scio, postquam textum Vulgatae explicuit, addit: “El hebreo: *El varón que oye*, que no habla temeraria y falsamente; o que refiere fielmente lo que ha visto y oído; *hablará siempre*, tendrá tiempo, ocasión, y lugar de hablar, o podrá hablar en todas ocasiones, nunca se le podrá tapar la boca” (*La Sagrada Biblia*, III, 470-471, Barcelona).

II) Facile intelligitur nos, prae laudatis scriptoribus tot tantaque de isto textu proferentibus, tacere magis quam loqui, oportere, ut nullam jam de eo quaestionem moveamus. Quod si illam in medium projicere iterum audemus, non ideo est, quia melioribus utentes documentis, eam per nosmetipsos solvere spem habeamus, sed potius ut nihil eorum praetermittamus, quae aliquam, tenuem certe, lucem huic perdifficili elucubratiunculae afferre valeant. En ergo quae nunc applicare volumus interpretationis criteria: primum esto verba ipsius textus — quod si hoc ad sensum investigandum insufficientis demonstratur, ad contextum attendere oportebit — si ne inde quidem veritas vel integre, vel saltem ex parte eluceat, ad generalem totius libri characterem, ad parallela... recurremus.

1) *Verba textus*. Primum, quo nos utimur, interpretationis criterium sunt verba textus. Quid ergo significaut vocabula: *schomea' lanesaj, y^odabber?*

a) *Schama'*. Quae huic verbo tribuuntur significationes, ad tria capita, quod ad nos attinet, reducuntur:

a) *Audire* vi vocis est simpliciter *aure physice audire*. Cum autem audire sit actus vitalis, qui audit generatim dicta percipit. Quae intellectus percipit voluntati proponuntur, eaque voluntas vel admittit vel e contra rejicit. Quod si admittit, audire, cui cordis adhaesio respondet, nondum est obedientia: etenim, si qui loquitur nulla super nos insignitur auctoritate, inclinatio voluntatis, benevolentia, amicitia, humilitas vocabitur; si autem qui loquitur aliqua super nos auctoritate gaudet, et obligare inferiorem intendit, voluntatis adhaesio vel subjectio obedientia potest et debet vocari. Adam ex amore *audit vocem uxoris suae* (Gn. 3, 17); israelitae ob inobedientiam *non audierunt mandata Dei* (2 Esd. 9, 16). Ergo vi verbi adhuc nescimus an locus vertendus sit: *vir audiens, vir auscultans, vir complacens, vir obediens*.

Cum in actu audiendi voluntas exerceatur, audiens potest semel aut raro alios audire, aut auscultare, eisque complacere aut obedire velle; vel e contra habitualiter hos actus perficere et tunc vir est pronus, est docilis, est prudens, aut sapiens...

Juxta *Hitzig* (139), *audire* in praesentiarum non testem, sed iudicem designat; testis enim non audit, sed audivit; non videt, sed vidit; imo in iudicio ipse auditur.

Qui in hoc loco significationem audiendi eligunt, videntes textum sacrum de objecto audito non loqui, illud determinare quomodocumque curant; qui enim audit, aliquid profecto audire debet. En diversa eorum placita: "qui audit testem falsum mendacia proferentem" (*Malan*) — "qui tantum quae ipse audivit, viditque testatur" (*Rosenmüller*) — "qui exhortatio-

nes et instructiones libenter audit" (*Bertheau* [140]) — "qui ut obediat conscientiae et auctoritatis vocem audit" (*Lesêtre*) — "qui audit Deum" (*Saadias*).

β) Cum in hoc loco non de teste agatur, qui audiat, sed potius qui loquatur, verbum *schama'*, quod generatim *audire* est, aliquid aliud hic significare debet; et cum in libro Samuelis (2, 24) et Regum (10, 7) *schamua' famam* significet, nostrum *schama'* per *fama gaudere* non male vertitur (141).

γ) LXX *schama'* pro *schamaj* in Exodo (4, 31) legerunt: unde impossibile non videtur et hic translatores *schamaj* pro *schama'* vertisse. Qui hebraicam linguam callent, probe norunt litteras *jeth* et *resch* faciliter commutari posse et tunc *lanesaj* in *linsor* convertitur, cui *salvandi* datur significatio. En qui inde obtinetur sententiole nostrae sensus: "vir qui (alios) salvare gaudet, loquetur" (*Der Mann, der sich freut zu retten, soll reden*) Jamvero vir qui de salute reo procuranda gaudet, est testis verus, ideoque loquetur, loqui potest (142).

b) *Nesaj* α) Significationes verbi *nesaj* in lingua hebraica ad quatuor capita bene reducuntur: *gloria, splendor, victoria — sinceritas, fides — perpetuitas, perpetuum — prorsus* (143).

β) *Nesaj* ob versiones syram (*t^eriso'ith*) et targumicam (*scharira'ith*) veritatem significare potest ut apparet in Job (23, 7) et Threnis (3, 18), ubi forte potius fiduciam (*Vertrauen - Vertrauenswürdigkeit* cf. BUHL) verteres (144).

c) *Y^edabber* α) *Dibber*, juxta lexikographos, *loqui, alloqui, pronuntiare*, significat, ideoque textus noster *y^edabber loquetur* recte vertit.

β) *D^ebar* has in lingua syriaca et chaldaica habet significationes: (trans.) *ducere, gubernare* (Ges.), *führen, leiten* (Levy); (intrans.) *profectus est* (Brun). Si ergo nostri verbi significationem e linguis aramaicis palaestinsibus sumimus, ut aliquando Aquila, aliquando etiam LXX fecerunt, sensum *ibit* in hoc loco obtinemus.

γ) Si quandoque textus hebraicus ex graeco aut ex aliis versionibus quoad litteras emendatur; majori cum jure emendantur quae sub litteris a Masora ob traditionem positae sunt vocales. Si ergo locus difficilis simplici punctorum mutatione facilis ac planus redderetur, hoc modo procul dubio bene imo melius reddendus esset. Jamvero, quoad verbum *y^edabber* dicit *Maldonado*: "Mihi videtur legendum *ydbbr* passive, id est, *praedicabitur*,

(140) *Die Sprüche Salomo's*, p. 82, Leipzig, 1847.

(141) WILDEBOER, *Sprüche*, p. 63, Freiburg, 1897.

(142) HIRTZIG, *Die Sprüche Salomo's*, p. 217, Zürich, 1858.

(143) Cf. Lexika Brow, Buhl, Gesenius, Mandelkern.

(144) WILDEBOER, op. et loc. cit.

numquam peribit ejus memoria" (145). Tunc forma grammaticalis esset *y^edubbar*.

d) Ex his aliquae significationes rejiciendae jam *a priori* a nobis sunt; aliae vero cum vix in unam phrasim cum sibi adjacentibus verbis coalescere valeant, eidem fere subjacent damnationi:

a) Priori generi sequentia verba adnumerantur: i) *Schomea'* pro *fama gaudens* in una tantum forma (*pi'el*) admitti ad summum posset (Buhl); noster vero locus participium praesens est formae *kal*. ii) Verbulo *lanesaj* sensum tribuere *veritatis* arbitrarium videtur: "*ist an und für sich willkürliche Annahme*" (146); quae adhuc significatio ex locis obscuris eruitur; versiones syr. et targ. unde illa descendit, in hoc loco, non litteraliter, sed secundum sensum factae sunt. iii) *Hitzig* verbo *nasar salvandi* significationem tribuens, juxta *Delitzsch* (147), phantasias somniatur. Ubinam enim gentium *nasar salvandi* significationem induit, nisi cum *min* et nomen sequitur? In loco autem nostro nec *min*, nec malum innuitur a quo salvari oporteat. iv) Forma *pu'al* verbi *dabar*, quam suspicatur et praefert *Maldonado* noster, semel tantum in toto Vet. Testamento (Cant. 8, 8.) invenitur et tunc ad aliud valde diversum refertur: "quid faciemus sorori nostrae in die, quando alloquenda est? *Schey^edubbar bah*, juxta *Jouön* (148) recte vertitur: "(le jour où) elle sera demandée", aut litteraliter (le jour où) il sera parlé d'elle, c'est-à-dire, où il y aura des pourparlers à son sujet; l'expression s'emploie surtout en parlant de pourparlers en vue d'un mariage".

β) Propositas horum verborum significationes in hoc loco collegimus, ut verus tandem hujus sententiae sensus eluceat. Contentum tamen hujus textus non ex unoquoque versu seorsim, sed ex utroque simul sumpto erui debet et tunc jam *a priori* excludi omnino debent significationes omnes, quae his duobus verbis simul sumptis *y^edabber lanesaj* aptari commode non possint. i) Quis enim dixerit: "*ibit* (A. Σ. Θ.) *semper*" (V.).—"*Vere* (S.), *fortiter* (T.) *ibit*" (A. Σ. Θ.)—"*loquetur* (LXX) *in victoriam*" (A. Σ. Θ.)? vel potius: *loquetur victoriae*, nam "is ad quem verba facimus, quemque alloquimur, ponitur plerumque praevio 'el, rarius 'al, l^e, etc." (GESEN., *Thes.*), ubi clarius apparet absurdum, nam victoria non est persona cui sermo fieri possit. ii) *Lanesaj y^edabber*. Simplex et sincera horum verborum versio esset *semper loquetur* et hoc modo redditur fere ab omnibus auctoribus. De hac tamen versione scribit *Frankenberg* (149): "*Ist ohne jede sprachliche Berechtigung*". iii) En speciminis gratia aliquae quae proponuntur hujus phraseos interpretationes: *Loquetur semper*, aut melius *victoriose supra falsum testem*, ejus rejiciens falsitatem (*Malan*).—*Testis munere fungetur perpetuo* (*Baynus*).—*Testimonium suum semper manebit* (*Bertheau*).—*Vocabitur semper ad testimonium ferendum* (*Crampon*).—*Perpetuo loquetur*, id est, *vivet* (*Mariana* [150]).—*Semper testificatur idem* (*Pagninus* [versio]).—*Dabitur ei semper facultas ferendi testimonium* (*Rosenmüller*). iv) *Wildeboer lanesaj* (*fiducia-veracitas*) non cum *y^edabber*, sed cum *schomea'* (*fama*

(145) *Biblia sacra... cum selectiss. literalibus comment.*, XIII, 292, Venetiis, 1750.

(146) BERTHEAU, *Die Sprüche Salomo's*, p. 82, Leipzig, 1847.

(147) *Das salomonische Spruchbuch*, p. 347, Leipzig, 1873.

(148) *Le Cantique des Cantiques*, p. 321, Paris, 1909.

(149) *Die Sprüche*, p. 124, Göttingen, 1898.

(150) *Biblia sacra... cum selectiss. liter. comment.*, XIII, 294, Venetiis, 1750.

gaudere) et tunc sensus phrasid *schomea lanasaj* esset: *cognitus ob suam fiduciam, aut veracitatem (bekannt was Vertrauenswürdigkeit betrifft, d. h., als vertrauenswürdig bekannt)* loquetur (151). Sed ne duo haec verba inter se quoad sensum uniantur, recta accentuum hebraicorum collocatione prohibetur.

2) Cum alicujus sententiae verba, vel seorsim sumpta, vel inter se juncta, obscura sunt, lumen in contextu, sive proximo, sive remoto quaeri debet.

a) In proximo hujus capituli contextu omnes quae praecedunt et quae subsequuntur sententiae independentes videntur, nullo inter se proximo et immediato nexu colliguntur; unde nulla earum ad reliquas elucidandas deservit. Agitur enim de superbo (v. 24), de pigro (vv. 25-26), de impiis (v. 27), de teste (v. 28), iterum de impio (v. 29). Quisnam inter hos textus sententiarum nexus inveniri possit, nescio. Ad summum haec quae sequitur sententia quamdam statuit unitatem: "Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum" (v. 30). Sed quamvis haec sententia superbiorum, pigrorum, impiorum, et testium mendacium machinationes tangat, vix aut ne vix nostram textus partem illustrare potest.

b) Contextus remotus est doctrina quam Autor sacer relate ad testimonia vera aut mendacia in toto Proverbiorum libro exponit. α) En quae ad nostram tractationem pertinent sententiae: "Sex sunt quae odit Dominus... linguam mendacem... proferentem mendacia testem fallacem" (Prov. 6, 16, 17, 19). — "Os justi parturiet sapientiam, lingua pravorum peribit" (10, 31). — "Labia justi considerant placita; et os impiorum perversa" (10, 32). — "Quid quod novit loquitur iudex justitiae est; qui autem mentitur testis est fraudulentus" (12, 17). — "Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui autem testis est repentinus concinnat linguam mendacii" (12, 19). — "Abominatio est Domino labia mendacia, qui autem fideliter agunt, placent ei" (12, 22). — "Testis fidelis non mentitur; profert autem mendacium dolosus testis" (14, 5). — "Liberat animas (vitam) testis fidelis; et profert mendacia versipellis" (14, 25). — "Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat et confusione dignum" (18, 13). — "Testis falsus non erit impunitus et qui mendacia loquitur non effugiet" (19, 5). — "Testis falsus non erit impunitus, et qui mendacia loquitur peribit" (19, 9).

β) Lex Deuteronomii haec erat: "Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum praevaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et iudicum, qui fuerint in diebus illis. Cumque diligentissime perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit et auferes malum de medio tui; ut audientes caeteri timorem habeant et ne-

quaquam talia audeant facere” (Dt. 19, 16-20). Sic fecit Deus per Danielelem cum senibus iniquis, qui Susannam falso accusarunt: “feceruntque eis sicut male egerant adversus proximum, ut facerent secundum legem Moysi et interfecerunt eos” (Dn. 13, 61, 62).

γ) Aliqui scriptores nonnulla ex praedictis testimoniis citant ut vocabulorum in nostro loco significationem determinent: *Michaelis* Prov. 19, 5, 9 affert ut verba *testis mendaciorum* explicet; 18, 13 cum phrasi *vir audiens* comparat; 12, 19 cum *lanesaj* (152). Ex *Bertheau* significatio verbi *lanesaj* ex contrario (12, 19) indubitata apparet (153). *Ehrlich* sensum vocabuli *peribit* ex 19, 9 eruit (154), etc.

δ) Si ergo ad contextum remotum attendimus, generalis hujus sententiae significatio esset: Testis mendax est versipellis (Prov. 14, 25), dolosus (14, 5), fraudulentus (12, 17), considerat perversa (10, 32), odio est Deo (6, 16), non erit impunitus, non effugiet (19, 5), peribit (10, 31; 19, 9). Testis verax autem considerat placita (10, 32), placet Domino (12, 22), non mentitur (14, 5), parturiet sapientiam (10, 31), indicat justitiam (12, 17), liberat animas (14, 25), firmus erit in perpetuum (12, 19). Breviter, testis mendax agit male, puniatur, peribit; testis autem verax bene operatur, placet Domino, erit in perpetuum.

3) Ut sensus hujus loci clarius pateat, generalem totius libri characterem explicemus oportet, poeticam scilicet Proverbiorum rationem, quae non semel occasionem praebet bonum ac verum textus sensum adinveniendi.

a) Liber Proverbiorum est poeticus. Poesis hebraica fere tota in *sententiarum idearumque* harmonia est, quae in universum *parallelismus* vocatur. Parallelismi triplex species numeratur, *synonymus* scilicet, *antitheticus*, *syntheticus*, qui ex nomine sat bene dignoscuntur. Si nostrum Proverbiorum caput 21 analysi subijcimus, omnium harum specierum parallelismi exempla inveniemus: *Synonymi* sunt vv. 14, 17 — *synthetici* vv. 3, 6, 7, 16, 27... — *antithetici* denique vv. 4, 5, 15, 18, 20, 26, 29. Qui nostrum aut praecedunt, aut sequuntur versus ita se habent: Piger opponitur justo (v. 26); impius viro recto (v. 29). Cuiam opponitur testis mendax? Non utique viro obedienti, sed veraci, sincero. Huic ex poetico hebraeorum parallelismo deductae conclusioni calculum addere auctorum sententia videtur: “Inter se videntur opponi testis mendax et verax”, ait *Knabenbauer* (155). — “Sic constat antithesis, scribit *Mariana* (156): Testis mendax peribit, verax vivet”. — In eodem sensu abundat *Gesenius* (157): *Testis mendax perit*, sed qui vere au-

(152) *In Proverbia Salomonis*, p. 1325-26, Halae, 1745.

(153) *Die Sprüche Salomo's*, p. 83, Leipzig, 1847.

(154) *Randglossen zur Hebr. Bibel*, VI, 127, Leipzig, 1918.

(155) *Comment. in Prov.*, p. 159, Parisiis, 1910.

(156) *Biblia sacra... cum selectiss. litter. commentariis*, XIII, 295. Venetiis, 1750.

(157) *Thesaurus*, III.

divit (testis verax) *loquetur in perpetuum* (diu vivet). — “Opponitur falso testi veridicus testis, qui vocatur *schomea* *audiens*; quia nihil refert, quasi dictum, nisi quod audivit revera dici (158), id est, *testis auritus*” (159).

b) Restat tantum ut explicetur quomodo testis veritatis per phrasim *vir audiens* apte exprimatur? Unum locum in 3 Rg. 3, 9 habemus, qui lumen affere fortasse potest. Ut recte populum suum iudicare et discernere inter bonum ac malum valeat, Salomon a Deo postulat *leb schomea*: καρδίας ἀκούειν (LXX), *leboh schomu'o* (syr.), *leb sabbar* (*cor intelligens* [Targum]), *cor docile* (Vulg.), *cor prudens* (Itala), καρδίας φρονιμην (Theodoretus [160], Complut.), *cor sapiens* (Prosper [161]), *cor intelligens* (Gesenius), *ein der Wahrheit heraushörendes Herz* (Buhl). *Audire* ex se semper est *audire*; sed si *cordi* applicatur, idem non est ac si applicatur *auri*, verba materialia dumtaxat percipienti. *Audire*, si *cordi* applicatur, diversum induit sensum, juxta personam cujus est cor. Si *cor audiens* est cor regis, qui de sibi commissis rebus rite iudicare debet, verbum *schomea* recte vertitur *cor intelligens, sapiens, prudens*; quod si *cor audiens* de simplici viro, nulla insignito dignitate, dicatur, tunc, ni fallor, *docile, sincerum, verax* potius verteretur.

4) Pro coronide hujus elucubrationis, quicumque sit sententiae Proverborum sensus, volumus adhuc ut haec quae sequuntur bene notentur:

a) Haec sententia pertinet ad Vetus Testamentum. Cum autem leges et praecepta illius aetatis ac foederis de exterioribus in genere agant, parum est probabile Spiritum Sanctum interna et intima humani affectus sensa docere voluerit. Praeter injustum substantiae aut uxoris alienae desiderium, vix semel de rebus internis, praecipue si ad perfectionem pertineant, in Veteri Testamento agitur.

b) Nomen *Proverbia* “designat sententias, axiomata et apophtegmata brevia, ad mores informandos apta et concisa et acri oratione exarata”, ait *Calmet* (162). Sententiae ergo hujus libri experientias potius continent, quae vitam ordinariam, sensum communem tangunt. Ideoque post earum lectionem non statim ad profundiora vitae supernaturalis mysteria assurgere licet.

(158) CLERICUS, *Veteris Test. libri Hagiographi*, p. 628.

(159) MALDONADO, *Biblia sacra... cum selectiss. litt., com.*, XIII, 292.

(160) *Quaestiones in 3 Rg.*, c. 3, interr. XII. M. PG. 80. 678.

(161) *Liber de promissionibus*, pars 2^a, c. 27. M. PL. 51, 800.

(162) *In Prov. Salomonis, Prolegomena*.